Cap. LXXXXVII. De porcis porcabus capris et aliis bestiis minutis non tenendis in civitate Tergesti.

Adhuc interdicimus quod nulla persona tenere debeat capras in civitate Tergesti vel eius districtu a Vena inferius nec a Ricmagna infra, preterquam unam vel duas, quas quilibet possit tenere in domo sua pro sua necessitate, et hoc sub pena quadraginta sold. par. pro qualibet persona contrafatiente. ℭ Et nulla persona civis vel habitatrix Tergesti sit ausa tenere in civitate Tergesti nec in domibus, que sunt extra civitatem Tergesti, in quibus consuetum est tenere fenum, aliquas pecudes castronos moltonos agnos vel capretos, nec habere societatem cum aliquo habitante in Silvolla tenente de supradictis animalibus, sub pena decem libr. par. et perdendi dicta animalia. ℭ Et quilibet possit acusare et habeat tertium condempnationis, salvo quod quilibet possit tenere de supradictis animalibus in domibus suis, non permittendo dicta animalia exire extra domum, et exceptis bechariis qui tenere possint animalia supradicta ad suam voluntatem sine pena. ℭ Insuper prohibemus quod nullus sit ausus tenere porcos vel
175 A porcas // in civitate Tergesti vel eius districtu per totum annum, preter quam a festo sancti Michaelis usque ad proximam primam diem quadrigessime inde subsequentem, et hoc sub pena viginti sold. par. pro quolibet porco vel porca et vice qualibet contrafacta, et quilibet possit accusare, et credatur acusatori cum sacramento. ℭ Et precones comunis teneantur predicta inquirere duobus diebus saltem in qualibet edomada, et quos invenerint denuntiare debeant dominio, et eis etiam adhibeatur fides cum sacramento, et acusator habeat medietatem condempnationis. ℭ Et si qua persona interfecerit dictos porcos vel porcas, medietas sit occidentis et medietas domini porci vel porce, et interficiens ad nullam penam teneatur comuni vel domino. Salvo quod rustici episcopatus Tergesti hominum de Tergesto et cuiuscunque alterius persone possint tenere porcos et porcas prout eis placuerit, et si inventi fuerint dare dampnum, cadant ad penam statuti de banno animalium dancium dampnum.